



et Haloandrina exhibent. Nam, quod a modestissimis pariter atque audacissimis Criticorum iam dudum crebro inculcatum est, quis credat, solum illum librarium, qui Pandectas Florentinas descripsit, diuino quodam agitatum spiritu, ab omni lapsu immunem fuisse, legesque modestae ac necessariae criseos in omni librorum genere, praeterquam in Pandectis explanandis, vim exserere suam? Itaque, ut ad sententiam Caii redeamus, nihil mali est, nihil turpitudinis continet, honesti hominis nomen, in quod quis testamenti tabulis adsciscitur, adsumere. *Vt, inquit Accursius ad h. l. vana iactantia abreptus, instituo te heredem, si imponas tibi nomen meum, scilicet Accursium: quod est honestum nomen, quia accurrit et succurrit contra tenebras iuris ciuilis.* Sed, bone Accursi, semper quidem honos, nomenque tuum, laudesque manebunt: nisi vero clarior lux elegantiorum literarum, qua tu, pro saeculi tui infelicitate, plane carebas, nobis suborta esset, atque celebriora illa nomina, Alciatus, Cuiacius, Duarenus, Contius, Hotmanus, Noodtius, Bynkershoekius, huiusque generis alii, offusas iuri ciuili tenebras feliciter depulissent, profecto dubium non est, quin, te licet accurrente et succurrente, pleraque adhuc caliginosa quasi nocte premerentur. Exigit praetor conditionem, sed non in omni nomine. *Nec enim, statim adiicit Caius, in famosis et turpibus nominibus hanc conditionem exigit praetor.* Quaedam nomina ob vilitatem abiectamque hominum conditionem, ut vespillonis, turpia habebant: quaedam vero, per se honesta,  
ob